ANALYTICA INTERPRETATIO DIFFICILIS RESPONSI IOANNIS VIII. SVMMI PONTIFICIS, RELATI A GRATIANO IN CAP. MIROR. 4. 50. DISTINCT.

In qua breuiter de *omni irregularitate* agitur.

AVCTORE BARTHOLOMAEO SANCHEZ Philosophiæ Magistro, Decretorum Doctore, Clementinarum in inclyta Salmanticensi Academia publico stipendio Lectore.

AD CLARISSIMVM DOMINVM DOMNVM Ferdinandum Pimentelium, Principem iuuentutis, Cathedralis Ecclesiæ Carthaginensis Archidiaconum, excellentissimi Comitis ac Ducis Beneuentani, Regni Napolitani Pro-Regis filium, auditorem multis nominibus charissimum.

SI mihi fata meis paterentur ducere vitam auspicijs, *in hac potißimũ inclyta Salmanticensi Academia, quam tu, Clarißime Ferdinande, prætextatus adhuc summa cum perfectæ prudentiæ laude, semel ac iterum Rector, & legibus emendasti, & exornasti moribus, viuere amem, & obeam libentißime. Hæc summa votorum meorum. Hîc natus, educatus, alitus. Hîc prima literarum hausi rudimenta. Hîc progressus (nam virtus repulsæ nescia sordidæ) non pœnitendos feci. Hîc pluribus diuersorum studiorum Cathedris honestatus, non inertem, nec studiosæ iuuentuti inutilem operam nauaui. Hîc in otio cum aliqua dignitate, in negotio sine periculo, cursum tenui. cùm paternæ laudis memoria, quem virum probè nosti castè integrèq; in munere à secretis Academiæ versatum, octuagesimo ætatis anno senio cõfectum haud magnæ cum re, sed fidei plenum (nam qui ita viuunt parum hæredem iuuant) nihil nobis præter bonum nomen reliquisset. Quæ sola commendatio me gratum omnibus fecisse, & ad vsque fastigium honorum extollere debuisset. Verùm aliter eueni-*

re multo intellexi, nam decumanis comitiorum fluctibus arreptus, cùm iam iam portum tenerem, in altum retrahor, & à metis (quod aiunt) ad carceres reuocor, in ea præsertim ætate, cum esset serum iam mihi desinere. *Deuoranda, inquies, hæc contumelia. Ita sanè. Sed crudus meus stomachus, dum hoc quidquid est, insolens nequit concoquere, simul & illa, quæ iucunda fuerant euomit. Cedendum igitur mihi patria, auitis laribus, maiorum sepulcris, & quod grauius, vestra consuetudine, vestroq́ conspectu iucundissimo. Relinquēdi veteres amici,* τῆς ψυχῆς ἰατρεῖον *id est, nostri libri, quos ætatem curiosè conquisiueram: & dum superest Lachesi quod torqueat, alibi auspicatiori sacramento, faxit Deus, nomen dandum. Ne tamen cum hac præcipiti fortunarum mearum iactura, simul tuorum erga me, Clarissime Ferdinãde, meritorum memoriam excidisse putes, hæc schedia, quæ* mille, *vt ait ille,* cirratis, *in augustiori Salmanticensi Athenæo dictata fuerant, & te solo præstantissimo auditore censentur, clarissimo tui nominis splendori dico, consecro, animi erga te mei qualecunque testimonium. Sed Summum Pontificem audi Ioann. VIII. Cenomantico Vticeñ. Episcopo in hac verba rescribentem.*

,, Miror minus doctam scientiam tuam, Sacerdotem putare ,, post perpetratum homicidium, posse in sacerdotio ministrare: imò, ,, quod est ineptius, nobis suadere velle, vt ipsi, tali præsumptioni ,, præbeamus assensum. Quis enim tam demens, tamq́ peruersi sen- ,, sus tale quid existimaret, vel post quantamcunq; pœnitentiã con- ,, cedendum: cùm omninò canonicæ disciplinæ sit contrarium? De- ,, bet ergo Sacerdotio priuatus, lachrymarum fonte flagitium tam ,, immane diluere, vt talibus saltem remedijs curatus salutis possit ,, inuenire suffragium. Hactenus textus.

Ad cuius interpretationem res altius petenda est.

Postquam

POstquam Gratianus à Distinctione 25. vsque ad 49. egit de ijs criminibus, & impedimentis, quæ solent obices esse Ecclesiasticos gradus ascendētibus, sequutus ordinem Diui Pauli in epistola ad Timoth. 1. cap. 3. & epistola ad Tit. c. 1. illis verbis: *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse, vnius vxoris virum, prudentem, sobrium, ornatum, non vinolentum, non percussorem*, & cætera, quæ sequuntur: in hac 50. distinctione agit: an, & quando post peractam pœnitentiam, vel in proprijs ordinibus ministrare, vel ad altiores valeat conscendere. Quam materiam ideò Gratianus in hac 50. distinctione collocauit, quia ad Iobeleum dicitur respexisse, in quo remissio omnium criminum quinquagesimo quotto anno lege diuina concedebatur, Leuitici cap. 25. & ca. 27. & Num. cap. finali, vt quemadmodum ea remissio quinquagesimo anno reseruabatur: sic Gratianus huius legis methodum aliquatenus æmulatus, ex suis distinctionibus eam, quæ quinquagesimo numero notatur, quæstioni de remissione post lapsum reseruaret.

Agit igitur: an post lapsum possit Clericus per pœnitentiam, vel dispensationem ita reparari, vt fas ei sit ab irregularitate, vel crimine liberato, ad ordines, à quibus propter impedimentum excludebatur, admitti, vel etiam si sacro ordine erat insignitus sacris ministrare, vel titulum, atque ordinis locum retinere. Et suo more in principio huius distinctionis plurima Patrum testimonia, & sacrorum Cōciliorum Decreta per tredecim capitula congerit: in quibus sufficienter probari videtur nullam spem reparationis lapsis reliquam esse. Quartum capitulum est, si ordinem aspiciamus; & forsan primum, ac potissimum, si difficultatem, si materiam, si alias circunstantias consideremus, in hoc textu, qui incipit, *Miror*, quem relegendum sors non semper nouerca nobis obtulit. In eo Ioannes Papa seuerè rescribit Episcopo Vticensi precibus instanti, vt cum presbytero homicida dispensaret, eius preces vt alienas à Canonica disciplina repellēs. Diuiditur in tres particulas. In prima denegatur petitio prædicti Episcopi à principio vsque ad versiculum, *Quis enim*. In secunda, quæ est in dicto versiculo *Quis enim*, redditur ratio cur Summus Pontifex cum homicida non dispenset. In tertia, quæ est in versiculo, *Debet*, præcipit Summus Pontifex quid facere hunc homicidam oporteat. Itaq; in toto contextu primò Summus Pōtifex negat in irregularitate ex homicidio prouenien te dispensari cum Sacerdote, vt deinceps suo munere fungatur, quia Ecclesiasticæ disciplinæ ea dispensatio repugnat; statuens, Sacerdotem homicidam posse post multam pœnitentiam veniam impetrare delicti, in spem salutis æternæ: innuens, vt gradum ordinis recuperet, & Sacerdotis fungatur officio nulla eū pœnitentia assequi posse, nec vlla consequi dispensatione.

Tria igitur ex hoc textu difficillima, & quæ salubri indigent interpretatione, ex hac litera deducuntur. Primum, Sacerdotem propter homicidium in eam irregularitatem incidere, in qua nec Summus Pontifex dispensat. Secundum, irregularitatē ex delicto prouenientem per pœnitentiam, quâ delictum tollitur, non tolli. Tertium, dignos punitione esse, qui pro sceleratis hominibus, ne pœnis afficiantur intercedunt.

De harum trium enuntiationum vera ratione, & interpretatione ita nobis agendum est, vt omnia, quæ ad irregularitates pertinet, breuiter, & tanquam in summa percurramus, & nihil, quod ad nostrum textum attineat, intactum relinquatur.

AD primæ conclusionis intelligentiā præmitto, irregularitatē esse *Inhabilitatē Canonicā ordinibus suscipiendis, vel susceptis exercendis*. Inhabilitas canonica, loco generis in hac diffinitione collocatur, reliqua loco differentiæ: nam inhabilitas ad plura alia extenditur: vt simoniacus, etiam facta pœnitentia, inhabilis est ad illud beneficium obtinēdum, in quo simonia fuit commissa, cap. pen. de electione, & tamen non est irregularis, quia irregularitas in ordinibus dumtaxat, tanquam in propria materia versatur: sic etiam sunt alię inhabilitates ad beneficia, dignitates, & prælaturas, cap. 1. de filijs presbyter. cap. in quibusdam. de pœnis, quæ quamuis Canonicæ inhabilitates sint, tamen ex superiori ratione, quia ad ordines ritè suscipiendos, vel rectè exercendos non pertinent, irregularitatis nomine non comprehenduntur.

Dixi tamen, irregularitatem esse Canonicam, idest Iure Canonico inductam: dupliciter enim potest quis esse inhabilis ad ordines. Vno modo Iure diuino, ita vt licet ordinetur, tamen nullum recipiat characterem: talis est non baptizatus, etiam si sit fidelis, & credat, cap. presbyter. cap. veniens. de presbytero non baptizato, quia iure diuino baptismus est

ianua Sacramentorum, ideò eodem iure sunt incapaces ad reliqua Sacramenta, qui baptizati non sunt. Talis est etiam foemina diuino iure incapax ordinis, cap. noua quædam. extra de poenit. & remiss. Præpos. in cap. ex promissis 5. hac dist. nume. 4. D. Bonauentura in 4. sentent. dist. 25. art. 2. quæstio. 1. Durandus ibidem, Archidiacon. in cap. si quis suadente. 17. quæst. 4. & in cap. presbyter. dist. 32. & in cap. Diaconissam 27. quæst. 1. Sed de his inhabilitatibus nō loquimur in hac materia irregularitatis, quia præsupponimus subiectum capax ordinis, quod subiectum Ius Canonicum ob aliquam causam ex defectu, vel facto procedentem ordinibus interdicat, vt rectè notat Innocent. quem omnes Theologi, & Canonistæ sequuntur in cap. nisi cum pridem. de renuntiatione, cap. ad audientiam. de homicidio. Quo fit, vt si irregularis ordinetur, ordo teneat, & character imprimatur. Ratio est, quia cùm subiectum sit capax ordinis, vt præsupponimus, per irregularitatem fit inhabile ad rectam; & legitimam susceptionem; multa enim etiam si malè fiant, facta tenent, cap. ad Apostolicam. de regularib. cum vulgaribus.

Præterea diximus, irregularitatem esse Canonicam inhabilitatem, quia non incurritur nisi in casibus à Iure Canonico expressis, vt probat textus memoria tenendus in c. is qui. 18. de sententia excommunicationis, lib. 6. Qua ratione excluditur à ratione irregularitatis excommunicatio, suspensio, & interdictum, licèt ordines impediant, quia nō solùm à iure, sed etiam ab homine imponuntur, cùm irregularitas nō ab homine, sed à solo iure infligatur, nec inter censuras numeretur, capit. quærenti. de verborum significatione. & meritò, quia nec irregularitas ad emendationem, vt censura, cap. 1. de sententia excommunicationis, li. 6. nec semper propter peccatum incurratur, sed sæpius propter defectum, vt ex dicendis apparebit. Diuiditur ergo irregularitas in duas species: vnam, quæ procedit ex defectu, alteram, quæ procedit ex facto. Et plurimum interest cognoscere, quæ ex facto, quæ ex defectu proueniant; nam quæ ex defectu est, ablato defectu, sæpe tollitur; quæ verò ex facto, etiam remisso peccato, remanet: & in ijs nullam habet dubitationem noster textus, quatenus habet, nulla poenitentia tolli irregularitatem, vt infra probabimus, & notat in præsenti Præpos. Secundò irregularitas, quæ ex facto est, prohibet promotionem ad ordines nō susceptos, & prohibet in susceptis ministrare: sed illæ irregularitates, quæ ex defectu nascuntur, non semper prohibent in susceptis ministrare, quamuis impedimento sint, ne ad maiores ascēdamus, vt in corpore vitiatis, & alijs similibus ex dicendis constabit. Tertio, quia per Concilium Trident. sessione 24. cap. 6. datur Episcopis facultas dispensandi in omnibus irregularitatibus ex occulto facto prouenientibus, non autem in illis, quæ ex defectu sunt. Dicitur ex facto procedere irregularitas, quando immediatè contrahitur propter delictum aliquod, vt propter hæresim, cap. qui in aliquod. infra hac distinctione. propter anabaptismum, cap. eos quos. de consecratione, distin. 4. propter baptismum in adulta ætate ab hæretico susceptum, cap. qui in qualibet. 1. quæst. 7. Et notandum est, ministrum, qui presbytero scienter rebaptizati assistit, irregularitatem incurrere, ipsum verò rebaptizantem non incurrere, textus in c. 2. de apost. Notat Cardinalis Toledo in summ. lib. 1. cap. 70. versi. *Quartò quāuis & multis modis*. Propter ordines non legitimè acceptos, aut nō rectè administratos. Primo modo, veluti si maiori excommunicatione ligatus, ordinatur, cap. cum illorum. de sent. excommunic. vel ab Episcopo, qui renuntiauit Episcopatui, vel ab Episcopo excommunicato, cap. 1. cap. cum Clericis. de ordin. ab Episcopo, qui renuntiauit Episcopat. vel vno die plures ordines sacros: aut minores ordines, & subdiaconatum suscepit: aut per saltum fuit ordinatus, cap. 2. & 3. de eo qui furtiuè ordines suscepit. Non inuenio textum de eo, qui suscepit ordines ab Episcopo simoniaco, suspēso, interdicto, ideò existimo nullam hoc in casu irregularitatem incurri, cùm, vt sæpius dicendum est, non incurratur nisi in casibus à iure expressis, d. cap. is qui. de sententia excommunic. lib. 6. Secundo modo incurritur irregularitas, si excommunicatus maiori excommunicatione, aut suspēsus celebrat, vel solemniter exercet actum ordinis, quem non habet, cap. 1. de Clerico non ordinato ministrante. Hę sunt ferè omnes irregularitates ex delicto prouenientes, in quibus non comprehendo irregularitatem ex homicidio, quia de ea latius infra proximè agēdum est. Irregularitates ex defectu reducuntur ad octo. Prima natalium, c. 1. 56. dist. cap. final. de filijs presbyterorum, qua illegitimi, & spurij comprehenduntur. Secunda originis dist. 54. per totam, & toto titulo de seruis non ordinandis. Tertia liberationis, vt qui est alteri obligatus, vt obligatus ad ratiocinia, Curialis, & cæteri, cap. designata. 51. dist. cap. Curiales

dist. 53. Quarta ætatis, cap. nullus. de tempor. ordin. in 6. Quinta bonæ famæ, cap. infames. 6. quæst. 1. ca. qui in aliquo. dist. 5. Sexta corporis, vt toto titulo de corpore vitiatis. Septima animę, qua cõprehendũtur dæmoniaci, insani, lunatici, morbo caduco affecti, illiterati, & cæteri, c. vsque quo 33. dist. c. qui in aliquo. dist. 51. c. pœnitentes. 55. dist. Octaua Sacramẽti, vt bigam. tit. de bigam. in Decret. & in 6.

Ex homicidio duplex oritur irregularitas. Altera ex defectu, altera ex delicto, cùm homicidium possit sine culpa, & cum culpa occisoris contingere. Quatuor enim modis homicidium contingere potest: aut enim homicidium est voluntatis, aut punitionis, aut casus, aut necessitatis. Voluntatis intelligo illicitum, & iniustum voluntariè commissum: punitionis, factum autoritate legis, Principis, Reip. vt à iudice, duce, vel milite, seruatis Iuris Ciuilis, & Fecialis requisitis. Quod iustum homicidium simpliciter homicidium non esse docet D. August. de libero arbitrio, cap. 4. & 5. sequitur D. Thomas 1. 2. quæst. 88. art. 6. Casus, vbicunque sine vlla voluntate directa, aut indirecta occisoris fortuitò contingit. Necessitatis, quando ab eo fit, qui aliter vitam nequit defendere, & moderamen adhibet inculpatæ tutelæ.

Quocirca certa regula est, ex voluntario homicidio, & punitionis semper incurri irregularitatem, diuersæ tamen speciei. Prima ex delicto, secunda ex defectu: de quo defectu infra in ratione huius textus agemus. Et longe differunt quoad dispensationem, quæ est propria materia nostri textus. In homicidio casuali nõ semper incurritur irregularitas. Duobus enim modis contingere potest homicidium casuale: vno modo, vt saltem indirectè voluntariũ sit: alio modo, quando non solùm præter intẽtionem, sed etiam præter voluntatem indirectam contingit, vt quia faciens opus licitum, & adhibita omni diligentia precauit, ne nocumentum proximi sequeretur. De primo modo, quia vel in causa voluntarium fuit, vt si vulnerare, sed non occidere voluit, vel cum tali instrumento percussit, quod morti inferendæ sufficeret: vel in eo loco percussit, vbi periculum maius est, aut ibi actum gessit, vbi communiter tale periculum soleret accidere: vel non adhibuit omnem diligentiam. De quibus & similibus subtiliter Caietanus secunda secundæ quæst. 64. art. 8. quo casu certum est incurri irregularitatem, vt bene D. Thom. d. quæst. 64. Sũmistæ verbo, *homicidium*, Canonistæ per textum in cap. significasti, cap. dilectus. de homicid. cap. Clerico. cum alijs infra hac dist. sic interpretor text. in cap. tua nos. de homicidio, vt infr. Alio casu si homicidium casuale contingat, ita vt omninò nec in causa, nec in occasione possit dici voluntarium duæ regulæ cõmuniter receptæ sunt. Prima, si sufficiens diligentia adhibita fuit ad vitãdum periculum mortis alterius, non contrahitur irregularitas, cap. dilectus, cap. Ioannes, cap. fin. de homicidio. Nec obstat textus in c. tua nos. de homicidio. nã ibi casuale homicidiũ indirectè fuit voluntarium, quia, vt ait S. Põtifex, Monachus, de quo in illo textu, multum excessit alienum officium vsurpando: quæ verba, *Excessit*, & *alienum officium*, & *vsurpare*, culpam præ se ferunt: & ex eo textu deduco Monachum, vel Clericum scientem artem chirurgi non incurrere irregularitatem, etiam si curet per adustionem, & mutilet, si diligentiam adhibeat, & quod ex arte est, præstitit. Ex quo textu, & similibus secunda regula deducitur, scilicet, etiam si opus sit licitum, & bona intentione factum, interueniente negligentia vitandi periculum, incurri ex homicidio, vel mutilatione irregularitatem, quia illo casu aliquo modo voluntarium est; & licet opus sit licitum, non tamen licitè fit: argumẽto textus in c. presbyterum. de homicidio, vbi presbyter declaratur irregularis, qui causa disciplinę puerum percussit in capite, ex qua percussione mortuus est: quia licet correctionis, aut disciplinæ causa percussio moderata licita sit, nimia tamen, culpa non caret; & ratione excessus incurri irregularitatem docuit textus in dict. cap. tua, verbo, *excessit*, iuxta textum, in l. Præceptoris. 6. ff. ad l. Aquiliam. Vbi Paulus in hæc verba: *Præceptoris nimia sæuitia culpæ adsignatur*, iuncta l. sed & si. 5. §. si Magister ff. eodem. ergo in d. cap. presbyter. licet opus licitum, & intentio bona esset, tamen minus prudenter, ac debitam moderationem excedendo in causa fuit irregularitatis incurrendæ. Sic etiam interpretor textum in cap. continebatur de homicidio: vbi Doctores firmant nõ fuisse immunem à culpa Diaconũ illum propter incuriam, & negligentiam in gestanda falce minus cautè, quàm lex ludi permittebat.

In homicidio necessario, idest ad defensionem facto, nõ semper incurritur irregularitas, nam cum vim vi iure naturali repellere liceat, l. vt vim. ff. de iustitia & iure, l. 1. §. cum arietes, ff. si quadrupes pauperiem fecisse dicatur, solùm eo casu incurritur irregularitas, quando percutiens aliquo alio modo, vel fuga, vel sola resistentia, vel alia via mortem

tem, vel periculũ vitare valuit, aggressorẽ tamen, quem poterat vitare se defendendo interfecit: itaque quando omnino aggressoris mors fuit ad propriæ vitæ defensionem necessaria, & vt nostri loquuntur cum moderamine inculpatæ tutelæ, tunc nullam incurri irregularitatem, diffinitum est in Clementina, si furiosus. de homicidio. Idem est, si occidat pro vitando vulnere periculoso, aut graui deformitate vultus; si alio modo quàm morte aggressoris id vitare non potuit: nam in hoc casu etiam naturalis ratio viget, iuxta illud Ciceronis in oratione pro Tito Annio Milone: *Est enim hæc non scripta, sed nata lex, quam non didicimus, legimus, accepimus, verùm ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expreßimus: ad quam non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus, vt si vita nostra in aliquas insidias, si in vim, in tela aut latronum, aut inimicorum incidisset, omnis honesta ratio esset expediendæ salutis.* Addunt, quod si Clericus accedat ad bellum iustum, causa exhortationis, & tamen in discrimine constitutus occidat hostem pro necessaria sui defensione, non fieri irregularem: ita Doctor Henriquez in summa Theologiæ, secunda parte, c. decimoquarto, de irregularitate.

Nec his obstat Concilium Tridentinum sessione 14. capite 7. ibi: *Si homicidium vim vi repellendo, vt quis se à morte defendat, fuisse commissum narretur, ei quodammodo iure dispensatio debeatur, &c.* Quibus verbis supponitur irregularitas contracta, siquidem debetur dispensatio; argumento vulgaris regulę l. decem, ff. de verborum obligatione. Nam respondet Nauarrus consilio 36. Concilium Trident. intelligendum de defensione immoderata, in qua moderamen illud inculpatæ tutelæ non fuit adhibitum: vt nouissimè probat Suarez tomo 5. de censuris, disputatione 46. sectione prima, Doctor Henriquez in secunda parte summæ, lib. 14. de irregularitate, cap. 10. Petrus Nauarrus de restitutione, cap. 3. numero 367. Nec displicet interpretatio Emanuelis Rodriguez, c. 172. cuius ea sentẽtia est, in illis verbis Cõcilij: *Dispensatio quodammodo debetur*, non loqui de dispensatione Prælati; sed tali casu & ratione ab ipso iure dispensationem deberi, vt videmus declaratum in dict. Clement. vnica. de homicidio.

Nec multum interest, in hoc homicidio defensionis causa det operam rei illicitę, nec ne: vt si adulter etiam Clericus aduertens periculum intrauit domum adulteræ, & aggressus à marito illius, occidat inuasorem pro necessaria vitæ, aut membrorum suorum defensione, nulla incurritur irregularitas: quidquid contra sentiat Emanuel Rodriguez, cap. 169. numer. 11. in fine & cap. 176. numero 2. qui sibi non constat, cùm affirmet latronem, qui alienam domum animo furandi irrumpit, & dominum domus dum se defendit interficiens, non esse irregularem: quod verum est. Vnde idem in adultero dicendum, quia dicta Clementina, si furiosus, generaliter excipit, & declarat de omni homine, qui se iustè defendit. Vbi alios casus similes excogitant Doctores, maximè Couarruuias in relectione dictę Clementinæ, Suarez, & Henriquez supra. Illa autem regula communis, quæ habet multum interesse ad irregularitatem incurrendam, vel non, an aliquis det operam rei illicitæ, vel licitæ, intelligenda est in solo homicidio casuali. Quando autem qui patrem, vel alium defendens, aggressorem interficit absque periculo irregularitatis, aptè tractat Henriquez vbi supra, numero 11.

Aduerto, in omnibus casibus, in quibus incurritur irregularitas propter homicidium, incurri etiam propter mutilationem membri, cap. Archiepiscopus. de raptor. dicta Clementina vni. de homicidio. Sed maximè aduerto, ex mutilatione similem irregularitatem prouenire, non tamen eandem, quæ ex homicidio. Refert autem esse æquiparationem, non autem identitatem, idest has irregularitates esse distinctas, præsertim ad dispensationem concedendam, vt declarat Congregatio Cardinalium in responsione quæstionis de facto circa Concilium Trident. sessione 24. ca. 6. notat Suarez supra sectione secunda: & ita noster textus, & iura similia in homicidio, non autem in mutilatione sunt intelligenda.

Aduerto, etiam incurri irregularitatem, si homicidium, aut mutilatio mandato, consilio, aut assentione contingat. Sic, & noua emendatione, lego textum in c. si quis viduam. 7. infra hac distinctione: vbi antea pro *assentione, defensione* legebatur. De hac autem irregularitate late Doctores in dicto cap. si quis viduam, Cardinalis Toledo in instructione Sacerdotum lib. primo. cap. 83. vsque ad cap. 87. Suarez in quinto tomo de censur. quæst. 44. sectione 3. Pater Henriquez in d. 2. p. summæ, lib. 4. cap. 16.

His ita præmissis, quæ ad omnes irregularitates percipiendas breuiter adduximus, restat, quod proprius est nostri textus breuiter discurrere, quibus modis irregularitas tollatur. Et notant Doctores, vno ex quatuor modis

modis tolli posse, alias baptismo, alias professione Religionis approbatæ, alias mutatione in contrariũ, omnes dispensatione Prælati Ecclesiastici.

Per Baptismum aiunt tolli omnes irregularitates, quæ ex delicto procedunt, remanere verò illas, quæ ex defectu proueniunt, cap. si quis viduam. 50. distinctione, vbi Glossa, verbo, *post baptismum*, infert, melioris conditionis esse qui iniustum homicidium ante baptismum commisit, quàm qui iustum; nam irregularitas, quæ ex iniusto homicidio, & ita ex delicto procedit, tollitur per baptismum; sed quę ex iusto homicidio, cũ ex defectu sit, manet etiam post baptismũ, vt manet irregularitas bigamiæ, quę nascitur ex defectu Sacramenti, cap. si quis viduam. 13. 34. distinctione, Glossam sequuntur Archidiaconus, Dominicus, Præpositus, Hostiensis, Ioannes Andreas, Anton. Petrus Ancharrano, & alij, quos refert Couarruuias 1. parte relectionis dictæ Clementinæ, si furiosus. §. 2. num. 5. Villa-Diego de irregularitate, cap. 1. num. 15. & cap. 16. num. 1. Huius sententiæ fuerunt conditores legum Partitarum: & ita de iure nostri Regni est l. 17. tit. 6. partita 1. quæ huius differentiæ satis aptam rationem reddit, desumptam ex ratione Summi Pontificis, in dicto cap. si quis viduam. 34. distinctione, scilicet, quia in baptismo crimina, non alij defectus dimittuntur. Quæ ratio si cum Diuo Thoma teneamus, irregularitatem, quæ ex homicidio iusto prouenit, esse ex defectu Sacramenti, certè magnam vim habet: nam ideò in dicto cap. si quis viduam. decreuit Summus Pontifex, non tolli per baptismum irregularitatem bigamiæ, qui est ex defectu Sacramenti: & reddit rationem, in baptismo crimina dimitti, non acceptæ vxoris consortium relaxari. Similiter igitur ex eadem ratione dicendum videtur, in baptismo irregularitatem ex delicto homicidij tolli, illam verò, quæ ex defectu Sacramenti propter homicidium iustum contrahitur, non tolli.

Sed verior sententia est, nullam irregularitatem ex homicidio siue iniusto, siue iusto ante baptismum incurri, & solum hominem baptizatum occidentem, vel mutilantem per se, vel per alium incurrere irregularitatem: vt benè probat textus in cap. si quis. 7. infra hac distinctione, cap. si quis post baptismum. 51. distinctione, ibi, *Post baptismum*, vbi post alios expendit Pater Suarez dicta sectione 3. qui rationem reddit, cur bigamus ante baptismum irregularitatem contrahat, & maneat etiam post baptismum irregularis, vt definit Summus Pontifex in dicto cap. si quis viduam, 34. distinctione. Aliam rationem affert Doctor Henriquez supra cap. 17. Couarruuias 1. parte relectionis dictæ Clementinæ 2. num. 5. in fine.

Professione Religionis sunt qui putent tolli omnem irregularitatẽ, præter bigamiæ, & homicidij voluntarij: ita Glossa in c. cum deputati, de iud. citans cap. non liceat. 19. quæst. 5. qui Textus id non probat, Glossa in cap. fin. de filijs presbyterorum, citans Authenticam de Monachis, collatione 1. in principio. Cuius verba sunt: *Conuersationis Monachalis vita sic est honesta, sic commendare nouit Deo, ad hoc venientem hominem, vt omnem quidem humanam eius maculam detergat, purum autem declaret, & rationabili naturæ decentem*, Sed nec hæc Authentica loquitur de irregularitate: & humanam maculam de morali nõ de alio canonico impedimento accipi, notat Glossa ibi. Nec si de irregularitate loqueretur, erat sufficiens ex defectu potestatis tollendæ, aut inducendæ irregularitatis, quæ tota, vt supra diximus à solo Iure Canonico pendet, dicto cap. is qui de sententia excommunicationis. Alij dicunt, solam illam irregularitatem tolli per professionis ingressum, quæ prouenit ex facto alieno, vt illegitimitatis; quod expressum est in cap. 1. de filijs presbyterorum: vbi illegitimi si Monachi fiant promoueri possunt ad sacros ordines, non tamen ad prælaturas; & sufficit ad tollendam hanc irregularitatem, si in congregatione Canonica regulariter viuant, ex dicto cap. 1. Vnde satis esse per vota simplicia Societatis IESV factos esse Religiosos, notat Henriquez supra: sic etiam infamiæ irregularitas purgatur per professionem Religionis, vt sentit Henriquez supra, capite 9. numero 3.

Mutatione in contrarium: vt si infamis infamia facti contrarijs factis bonam famam adquirat; vel infamia iuris, sed à Principe sit restitutus, vt in cap. cum à te. 23. de sentent. & re iudica. vel si seruus manumittatur: si ignarus literas discat: si morbo impeditus perfectam recuperet valetudinem: si defectus ætatis impleatur tempore idoneo, vt Neophytus tempore procedente, desinit esse tyro, iuxta illud D. Ambrosij: *Vbi causa non hæret, vitium non imputatur*. c. Neophytus. distinct. 61. & sic de similibus, quæ latè Henriquez supra c. 17. Suarez disput. 41. sectio. 1. num. 4.

Dispensatione diximus tolli omnem irregularitatem: nam cùm omnis irregularitas sit ab Ecclesiæ institutione, constat & ab ea tolli posse. Hæc conclusio in sola bigamia, & homicidio videtur difficilis; nam in bigamia contrarium decernit S.P. in cap. 2. de bigam. & in cap. nuper. eodem tit. Verba textus sunt: *Cum bigamis contra Apostolum dispensare non licet, vt debeant ad sacros ordines promoueri.* Rationem assignat Glossa, quia bigamiæ irregularitas à iure diuino ortum habuit: nam Leuitic. 21. interdicuntur Sacerdotibus nuptiæ viduarum, meretricum, repudiatarum, & solùm virgo Sacerdoti concedebatur in vxorem. Vnde à Diuo Paulo lex diuina promulgatur prædictæ consimilis in epistola ad Timotheum, & Titum, ibi: *Vnius vxoris vir.* ideò Summus Pontifex Lucius III. in d. cap. 2. de bigam. apertè decreuit cōtra Apostolum dispensare non licere. Sed ne in his immoremur, quæ latè omnes Theologi in 4. q. 27. disputant: breuiter resoluo, Summum Pontificem posse dispensare, & frequenter dispensasse in hac irregularitate, vt ferè omnes in d. quæst. 27. vbi D. Thomas q. 3. art. 3. & quodlibeto 4. art. 13. Nauar. qui plures refert, cap. 27. num. 197. Couarruuias supra §. 2. num. 5. Nec obstant text. in d. cap. 2. & in d. cap. nuper, quia respondeo in illis iuribus difficultatem ostendi, non impossibilitatem: ideò ibi non dicitur Sūmum Pontificē non posse dispensare, sed non licere: nec tamen hoc dicit, quia nunquam liceat, sed quia non pro solo arbitrio, nec pro leui causa dispensatio hæc concedēda est. Ad rationem negatur iure diuino inductam esse hanc irregularitatem: nec Diuum Paulum induxisse irregularitatem, sed ea tantùm, quæ decent Episcopum recensuisse: & locus ille alios habet sensus probabiles; & intellectus de bigamia non proponitur sub verbo præceptum continente, sed admonitionem, scilicet, *oportet*. Sub quo verbo multa alia ibi requirit, quæ non sunt absolutè, & ex præcepto necessaria, cùm sub eadem determinatione pariformiter debeant determinari, l. ex facto. de vulgari, & esto ab Apostolo inductam fuisset illis verbis, non inde sequitur fuisse diuinum præceptum, sed Apostolicum; & Apostolicæ constitutiones non transcendunt ius humanum: & quantum ad actum iurisdictionis, est Ecclesiæ potestas ęqualis potestati Petri, & Pauli, atque ideò sufficiens ad dispensandum in omni iure humano etiam Apostolico, cap. proposuit. de concessione præbendæ, vbi Glos. verbo *dispensare*, cap. cuncta per mundum. 9. quæstione 3.

De irregularitate ex homicidio voluntario etiam dubitatio est propter nostrum textum, & cōclusionem, quam ex eo deduximus, & propter iura similia, quæ ostendunt, eam irregularitatem ex homicidio voluntario incurri, quæ nulla potest pœnitentia purgari, nulla dispensatione tolli. Et obiter aduerto, rigorem nostri textus non in omni homicidio, sed in solo voluntario procedere: quod attinet ad pœnitentiam in explicatione secundæ conclusionis constabit: quod ad dispensationem eam difficilem reddunt textus in cap. sicut, cap. si quis omnem. 1. q. 3. cap. sicut dignum, §. clericos. de homicidio, cap. 2. de cleri. pugnantibus in duello. Per quæ iura Glossa in d. §. clericos, verbo, *Consilium*, firmat Summum Pontificem non posse dispensare, siue manu propria, siue consilio, siue exhortatione, siue mandato, siue assensu perpetretur homicidium, & Speculator in lib. 1. tit. de dispensatione, §. iuxta, num. 3. ait, Curiam Romanam non dispensare cum Clerico in homicidio voluntario, nec de facili in casuali. Idem tenet Marianus Socinus in repetitione cap. ad audientiam, de homicidio. Videtur confirmari hæc opinio per Decretum Conc. Trid. sessio. 24. cap. 7. in illis verbis: *Quia sua voluntate homicidium perpetrauerit, etiam si id crimen occultum sit, nullo tempore ad sacros ordines promoueri possit.* Rationem redit Socinus supra num. 17. quia scilicet regularitas hæc à iure diuino inducta est, vt constat Paralipomenon 1. cap. 22. & 28. vbi Dauid reiectus est à fundatione templi, quod Deo Opt. Max. vouerat, eo quod vir sanguinarius esset, cap. si quis omnem. 1. quæst. 7. cap. 2. de consecratione, distinct. 1. vbi Glossa sic format argumentum: Si Dauid prohibitus est ædificare templum Domino, à fortiori prohibetur in altari ministrare. Præterea facit pro hac parte hæc inductio: Quod ab omnibus communiter obseruatur, creditur à iure naturali, & diuino deductum, quod enim ab omnibus gentibus fit, à natura, quæ omnibus communis est, exortum, fateri necesse est: vt in aliud propositum probat Cardinalis Bellarminus in quæstione de exemptione clericorum: sed omnibus gentibus religio fuit puros à sanguine Sacerdotes esse, vt constat ex his, quæ adducit Pater Martinus Antonius Delrius Societatis IESV in commentarijs ad Senecam in Hercule furente actu 4. vbi Herculi sacrificare volenti respondet Amphytrio:

Nate

Nate manantes prius,
Manus cruenta cæde, & hostili expia.
Facit illud Virgilij lib. 2. Aeneidos:
Tu genitor cape sacra manu, patriosque penates:
Me bello è tanto digressum, & cæde recenti
Attrectare nefas.

Ergo hæc prohibitio à iure naturali diuino, ortum habuit. Et si etiam gentibus nefas fuit manibus cæde pollutis sacra tangere, quanto magis nefas est Sacerdotes veri Dei homicidio pollutos sacra facere. Quo arguendi modo vtitur Fœlix Papa in cap. 2. de consecratione, distinctione 1. versiculo, *Si enim.* Præterea confirmatur hæc opinio ex dicta epistola Diui Pauli ad Timotheum, cap. 3. ibi, *Non percussorem*: sed contra Apostolum non potest Summus Pontifex dispensare: vulgaris regula textus in cap. sunt quidam, cap. contra statuta Patrum, cap. omne quod, cap. prima salus. 25. quæstione 1. dicto cap. 2. & dicto cap. nuper. de bigam. cap. literas, de restitutione spoliatorum: ergo Summus Pontifex non potest cum homicidio voluntario dispensare.

Denique ponderatur pro hac parte noster textus, eo quod acerbissimè reprehendit Episcopum, qui pro dispensatione homicidæ intercedere fuit ausus: quæ acerbitas iniusta esset, si Summus Pontifex dispensare posset: licet enim Principem denegare beneficium, quod conferre potest; non tamen tanto stomacho, & indignatione aduersus intercessorem, maximè tantæ dignitatis, vti. Sed de hac ponderatione agemus in tertia conclusione, vbi, vt spero, tanquam mel de petra, & lac de saxo durissimo suggentes, mitiorem sententiam eliciemus.

His tamen non obstantibus vera sententia est, dispensatione etiam homicidij voluntarij irregularitatem omninò tolli, Doctores tamen in cap. continebatur, & in cap. ad audientiam. de homicidijs, tres gradus dispensationis non ineptè in hoc casu constituunt. Aliam appellant dispensationem magnam, quando cum irregulari ad sacros ordines iam promoto dispensatur ad ministerium minorum ordinum dumtaxat: maiorem, si dispensetur, vt etiam in sacris receptis, ministrare posit. cap. tua nos, de homicidio. cap. clerico. 50. distinctione: maximam, si is qui nondum ordines suscepit, dispensationem impetret, vt promoueri posit ad omnes ordines. Aiunt igitur, magnam dispensationem etiam in hac irregularitate concedi, quin etiam & maiorem; sed non in omni homicidio; idque ex maxima causa, iuxta textus in dicto cap. tua nos, & in dicto cap. Clerico. & in hac loqui nostrum textum constat ex eius litera. Loquitur enim in Sacerdote, qui post adeptos sacros ordines, homicidium perpetrauit, & dispensationem petit, qua posit in sacerdotio ministrare. Maximam verò dispensationem negant à Summo Pontifice concedi posse. Et pro hac sententia videtur stare Concilium Tridentinum dicta sessione 24. cap. 6. ibi: *Ad sacros ordines promoueri non posit*: non enim loquitur Concilium Tridentinum de dispensatione danda iam ordinatis, vt ministrare posint, sed de dispensatione, qua non ordinatus ad sacros ordines promoueatur. Hæc tamen doctrina licèt necessaria sit ad materiæ præsentis cognitionem, non tamen est necessaria ad quæstionis propositæ resolutionem.

Vera enim resolutio est, absolutè Ecclesiam posse dispensare in omni irregularitate etiam ex quocunq; homicidio proueniente. Nec obstat rationes in contrarium adductæ. Prima, à iure diuino oriri hanc irregularitatem, nam vera sententia est Theologorum supra, & Canonistarum in cap. ad audientiam. de homicidio, vbi Felinus numero secundo plures refert, & in cap. Is qui. de sententia excommunication. lib. 6. Couarruuias in dicta Clementina vnica, prima parte in principio, Nauarrus in cap. 27. numero 191. Soto dist. 22. quæst. 3. Ledesma in quarto prima parte quæst. 26. articulo secundo, Suarez, & Henriquez supra, omnes Summistæ verbo: *Irregularitas*, hanc irregularitatem ex homicidio voluntario esse iuris positiui: etsi aliqui iuris diuini appellant; non quod existiment à iure diuino positam esse, sed quia Ecclesia illam instituit ad imitationem iuris diuini: vt probat Doctor Henriquez, cap. primo. de irregularitate. §. 3. litera Y. & probatur sufficienter per text. in dicto cap. is qui. de sententia excommunicati. lib. 6. vbi excluditur à ratione irregularitatis ea, quæ non est à Iure Canonico expressa. Ratione constat, quia duplex est ius diuinum, positiuum, scilicet, & naturale. Positiuum aut in veteri, aut in nouo testamento esse oportet. In veteri non est, vt constat ex cap. non inferenda. 23. quæstio. 3. vbi D. Ambrosius refert Moysem propria manu AEgyptium interfecisse, Exodi cap. secundo: & cõsilio atque exhortatione sua tria millia, vel vt in vulgata legitur triginta millia Iudæorum fuerunt occisa, Exodi. capite. 32. &

exemplis Phinces, Numerorum 25. Samuelis 1. Regum, cap. 15. & Matthatiæ 1. Machabæorum, cap. 2. Petri Anan. & Saphir. probat Nauarrus consilio. 3. lib. 1. de his quæ vi. Nec obstat quod de Dauid adduci solet: nam constat non fuisse ideò à Domino repulsum ab ædificatione templi, quod sanguinarius vir non posset illud ædificare, sed quia, vt Couarruuias supra, & Suarez, & alij notant, placuit Deo illò exemplo ostendere quàm sibi pax & lenitas cordi sit, quantumque sanguinis effusionem auersetur. Vnde Diuus Thomas in 4. distinctione 25. quæstione. 2. articulo. 2. & quæstione. 3. ad primum affirmat, in veteri Testamento nullam fuisse irregularitatem in ministris illius templi ob sanguinis effusionem. In nouo non apparet testimonium vllo iurediuino: nam ad authoritatem Diui Pauli satisfecimus, cùm de eadem authoritate egimus in irregularitate bigamiæ. Nisi quis existimet huius irregularitatis vestigium extare in Euangelio, quando Iudæi coram Pilato clamarunt: *Nobis non licet interficere quenquam*. Sed hæc verba non posse intelligi de sententia capitis ferenda satis probat Cardinalis Cæsar Baronius Annalium tomo 1. anno Christi 34. quia iam ipsi Sacerdotes Dominum morte condemnarant: sed intelligi de executione, quæ eis erat per illos septem dies Azimorum interdicta, vt etiam ex Actibus Apostolorum cap. 12. satis constat: vbi eadem ratione Diuus Petrus ab Herode Agrippa fuit in carcere detentus, donec transactis Azimorum diebus eum populo produceret, vt ex Diuo Augustino, Diuo Cyrillo, & alijs probat idem Baronius.

Minus obstat argumentum à Gentibus sumptum, quia quamuis eos etiam deceret puras à sanguine manus habere, vt constat ex Suetonio Tranquillo in Tito cap. 9. tamen hoc impedimento non fuisse, vel ex eo perspicuum est, quod plerique, & Reges, & Sacerdotes simul erant, vt de Phœbi Sacerdote Virgilius; *Rex idem, Phœbiq; Sacerdos*. Et iuxta leges Romanorum Sacerdotibus militiæ vacatio concedebatur, non quod lex aliqua Sacerdotibus bello prorsus interdiceret: sed hoc tribuit, vt si minus ire ad militiam vellent cogi, non posiint; excepto Gallico bello, nam ad id etiam cogebantur, & sponte multos ex Augurum, & Pontificum Collegio ad bellum exijsse historiæ narrent. Quod si quis alleget illud Plutarchi in Fabij Maximi vita, cùm ait: *Crassum quod erat Pontifex maximus diuina quædam lex domi tenuit*: facilè respondeo, solum ex Sacerdotibus Summum Pontificem lege prohibitum extra Italiam belligerare, intra Italiam non item. Constat ex Liuio lib. 8 *Scipioni*, inquit, *Sicilia extra sortem concedente Collega, quia sacrorum cura Pontificem Maximum in Italia retinebat: vnde qui primus extra Italiam ad bellum profectus Publius Licinus Crassus Mutianus ab Aristonico in Asia occisus pœnas neglectæ Religionis dicitur dedisse*. Cùm ergo cõstet, irregularitatem hanc non esse à iure diuino, necessariò fatendum est, tolli posse per dispensationem. Totius difficultatis cardo in verbis nostri Textus consistit. Cui Textui, & Concilio Tridentino vno verbo respondemus, non negari in his iuribus potestatem dispensandi, sed probari difficillimè concedi, vt omnes fatentur: & Couarruuias supra numero 3. ad finem, ait, non concedi à Summo Pontifice, nisi illis, qui Religiosi sunt, vel esse velint in aliquo Religionis approbatæ monasterio. Allegat huius opinionis Authores Ioannem Staphileum, & Ludouic. Gom. non tamen reor necesse esse ad eã dumtaxat causam restringi dispensationẽ, sed ex alia qualibet iusta causa posse Sũmũ Pontificẽ iustissimè cum quolibet homicida volũtario dispensare. Ratio huius difficultatis nascitur ex eadem ratione, propter quam hæc irregularitas inducta, quæ quadruplex à Doctoribus proponitur. Prima à Diuo Thoma 2.2. quæstione. 64. articulo. 4. quia Clerici sunt electi ad altaris ministerium, in quo repræsentatur passio Agni, qui cum pateretur non comminabatur: summa autem indecentia est, ministros non imitari mansuetudinem Agni, quem repræsentant, cum in omni politia videamus adinstar Regum totum componier orbem. Ecclesiastici. 10. *Secundum iudicem populi, sic & ministri eius*. Secunda, quia Clericis committitur ministerium nouæ legis, in qua nulla pœna occisionis, aut mutilationis imponitur, cap. Clericis. 5. cap. sententiam sanguinis. 9. ne Clerici, vel Monachi, Boecius Eponensis de iure sacro, lib. 1. numero. 90. ad quam reducitur Richardus distinctione. 25. quæstione. 3. articulo. 5. qui sunt ministri nouæ legis, in qua mansuetudo, & amor debet ministrari, Matthæi. 5. *Diligite inimicos vestros, &c.* Tertia est Præpositi, hic, quia sunt ministri Sacramenti vnionis id est, Eucharistiæ, in quo repræsentatur vnio Christi, & Ecclesiæ, quæ significatur vnio animæ, & corporis: qui ergo separat animam à corpo-

corpore non est idoneus minister huius Sacramenti. Quarta, & finalis, quia hæc irregularitas magis quàm aliæ ad imitationem legis diuinæ inducta est. Ex quibus rationibus constat difficultas dispensationis, & ratio dicendi nostri. Textus etiam constat ad quod genus irregularitatis trahatur: nam ex duabus rationibus prioribus facilè intelligimus reduci ad defectum lenitatis, & mansuetudinis, iuxta textum in cap. interfecisti. de homicidio, ibi, *Quia contra mansuetudinem Ecclesiasticam*. Ex tertia ratione, & quarta reducitur ad defectum Sacramenti, & significationis: & ita Alexander de Ales, & Diuus Thomas quoties loquuntur de hac irregularitate, eam procedere aiunt ex defectu Sacramenti: sed eæ reductiones conueniunt etiam iusto, & casuali homicidio: at homicidium voluntarium, de quo agimus, addit aliam malitiam, ob quam numeratur inter ea, quæ ex delicto sunt; quæ omnia collecta difficultatem dispensationis efficiunt, & occasionē rigurosæ responsionis, de qua in nostro textu fit mentio. Non tamen hæc difficultas dispensandi est communis omni irregularitati ex homicidio prouenienti: sed solùm sigillatim quando homicidium voluntarium, hoc est, illicitum est, & merè voluntarium, & notorium, aut in iudicium deductum. Nam in occulto ad recipiendos minores ordines, & in eis ministrandum dispensare potest Episcopus, quidquid Syluester, Tabiena, Nauarrus, & Couarruuias contra senserint existimantes solùm Summum Pontificem posse etiam in hoc casu dispensare. Sed nostra opinio constat ex Concilio Tridentino, dicta sessione. 14. capite. 7. quod solùm prohibet promoueri ad sacros ordines, vt rectè Medina lib. 1. institutio. cap. 11. §. 12. Præterea in occulto homicidio potest Episcopus dispensare cum Sacerdote, vt in sacris acceptis ministret: ita Angelus, verbo, *homicidium*. 5. §. 1. (quem ad verbum transcripsit Syluester, licet eum refutet, citat Lauden. Ioannem Andream, Archidia. pro eodem citat Coua. in 4. Frede. & Archidiac. & pro hac sententia est Concilium Tridentinum, dicto cap. 7. quatenus solùm prohibet promoueri, vt ponderat Medina supra, quod Spinar dicit probabile. Nec obstat quod idem Trident. sessione. 24. c. 6. dās facultatem Episcopis dispensandi in omni irregularitate ex delicto prouenien-te, excipit homicidium. Nam respondeo, Concilium Tridentinum in dicto cap. 6. non concedere Episcopis facultatem dispensandi in homicidio occulto, quod fateor. At neque tollit quod antiquo iure erat eis concessum, scilicet ad vtendum, & ministrandum in susceptis: & sic subtiliter interpretor Concil. Trident. vt in vno casu nempè in facultate ad ordines suscipiendos, excipiat regulæ. At in alio casu, nempè in dispensatione ad ministrandū in susceptis, non reuocat Episcoporū facultatē.

Addo, Alphonsum de Castro lib. 2. de lege pœnali. cap. vltimo. concl. 3. negare cum Vincentio homicidam omninò occultum fieri irregularem, aut indigere aliqua dispensatione, vt promoueatur; secus quādo homicidium ita est occultum, vt tantum probabile sit per testes. Sed breuiter resoluo. Occultissimus voluntarius homicida est verè irregularis: fatentur omnes contra Castrum: & iuribus, quæ Castro adducit, satisfacit Couarruu. dicto num. 4. Nauarrus num. 239. constat ex hoc Conc. Tridentin. loco, sessio. 24. cap. 6.

In casuali homicida dispensat Episcopus. dictum Concil. ses. 14. c. 7. & quāuis limitant solùm, vt in minoribus susceptis ministret, Abbas, Socinus, Felinus, Ancharranus, & Syluester: ea ratione, quia Textus noster in hoc cap. miror. generaliter loquitur, nec distinguit inter occultum, & publicum, nec inter voluntarium, & casuale. Sed hæc ratio non est sufficiens, nam vt ex hac nostra relectione constat latissima differentia constitui debet.

FVit secunda nostri textus conclusio, irregularitatem pœnitentia non tolli. Contrarium videtur in capit. studeat 39. infra hac distinctione. Cuius hæc sunt verba: *Aliquanto tempore à Missarum solemnijs suspendatur; denuò post ad Sacerdotale rediturus officium*. Sed vera sententia est, quam ex nostro text. deduximus. Ratio est, quia pœnitentia ordinata est contra culpas, aut pœnas fori interni, vt constat ex materia Sacramenti, cap. gaudemus. de diuortijs: at irregularitas culpa non est, sed inhabilitas canonica, ideò per solam pœnitentiam nunquam tollitur, cap. ventum est. 18. 1. quæst. 1. ibi: *Quæ sanitas post vulnus sequuta sine cicatrice esse non potest*. Quæ verba ordinat Speculator de dispensatione. §. iusta, & Socinus in dict. cap. ad audientiam. de homicidio. in hunc modum: sanitas, scilicet

cet pœnitentiæ, post vulnus, scilicet pecca ti, sine cicatrice, scilicet irregularitatis, vide Glossam ibi verbo *cicatrice*, facit textus in capite. 1. qui clerici, vel vouentes. probant Cardinal. & Præpos. hic, Villa-Diego, cap. 16. pag. 172. quinimò nec virtute priuilegij, vel Bullæ Cruciatæ aut Iubilei, licèt in illis expressum sit, concedi absolutionem, etiam à quacunque censura, quia irregularitas non est censura, vt constat ex cap. quærenti. de verborum significatione. vbi censuræ enumerantur, & maximum vitium esset irregularitatem omittere, si censura esset, quia, vt inquit Cicero, lib. 1. de officijs, cap. triplex est, &c. *maximum vitium est aliquid in diuisione præterijsse*: & constat ex natura censuræ, quæ semper propter culpam, & ad emendationem imponitur, cap. 1. de sentent. & re iud. lib. 6. cùm irregularitas nec semper propter culpam sit, & perpetuò duret. Falluntur ergò, qui existimant sub illis verbis, *ab omni censura*, appositis in Bulla, aut Iubileo comprehendi id genus irregularitatis, contractum in pœnam delicti: ita Soto lib. 1. de iustitia & iure. quæst. 6. articu. 5. ad primum, & in 4. dist. 3. quæst. 1. articulo 9. & dist. 22. quæst. 3. articulo primo, & late post alios Ioañes Gutierrez in Canonicis quæst. cap. 3. per totum: & probabile dicit Doctor Henriquez in prima parte Summæ, lib. 7. de indulg. cap. 13. maximè si etiam esset expressum absolutionem concedi ab alijs pœnis Ecclesiasticis, vt Bullæ ante Pium V. exprimebant, sed à Pio V. & alijs Summis Pontificibus sublatum fuit, ne esset deceptionis occasio, vt ait Doctor Henriquez dict. cap. 13. numero 6. qui prudẽter hanc quæstionem dissoluit. Nec obstat textus in dict. cap. studeat. infra hac distinctione, quia respondeo loqui in homicidio casuali inculpabili, vt ex ipso textu constat, ibi: *Qui siquidem à præfato presbytero non ad mortẽ percussus est, sed ex equo cadens ceruice fracta, interijt, secundùm arbitrium vestrum pro percussione incautè agenti presbytero pœnitentiam competentem indicite*. Ita communiter ille textus intelligitur, in homicidio casuali culpabili, & in versiculo, *quod si veraciter*, cum nostra conclusione consonat. Sed ego vltra scribentes considero in dicto cap. studeat. duo diuersa proponi: vnum est quando nõ ex percussione casuali licèt culpabili, sed ex alia causa homicidium sequutum est: quo casu quãuis nulla irregularitas contracta sit, tamen suspenditur propter incautam percussionem, & pœnitentia percussori imponitur, qua finita, cùm nulla irregularitas sit, meritò ad ministerium ordinum reuertitur. Secundò, quando ex illa percussione casuali culpabili præter intentionem percutientis homicidium sequitur, quo casu irregularitatem incurri, ideò pœnitentia peracta ad ordinum ministerium non admittitur, constat ex ipso textu, & cap. si quis homicidium, & cap. si quis voluntariè. hac eadem distinct. & ex nostro textu, & sic constat verani esse hanc secundam nostri textus conclusionem.

QVO ad vltimam attinet, cùm ex supra dictis constet, S. P. posse in hac irregularitate dispensare, non videtur culpa dignus Episcopus, qui pro dispensatione intercessit, & indignè tam acerba verborum contumelia tractatur, tanquam minus *doctus*, *ineptus*, *demens*, *&* *praui sensus*, vt meritò cum Terentiano Phedria conqueri possit: *Hæc iam non esse verba Patris*: quæ verborum acerbitas præbet ansam inquirendi: an delictum sit intercedere, & supplicare pro reis, maximè facinorosis? Et omissa illa quæstione: an pro damnatis in inferno existentibus fas sit Deum orare? quam post D. Thom. & alios disputant Aragon. de iustitia & iure. & Nauarrus in miscellaneis de Horis Canonicis recitandis, cap. 22. miscellanea. 13. Certè pro reis quantumcunque facinorosis orare, & supplicare licitum, & decens, imò pium, & proprium officium Prælatorũ esse probat textus in cap. 1. §. sed inhumanum. 14. q. 6. ibi: *Sed inhumanum non est pro talibus intercedere tanquam pro reis criminum, ne homo in hominem sæuiat*, vbi Glossa verbo, *intercedere*, alia iura allegat.

Secundò probat textus elegans in cap. reum. 9. 17. quæst. 4. ibi: *Sed Rectores Ecclesiarum pacem, & vitam, ac membra eus obtinere studeant*: probat Abb. in cap. inter alia. de immunitate Ecclesiarũ, Ioannes Faber in §. primo, instituta de his qui sunt sui, vel alieni iur. Alciatus præsumptione 33. regula 3.

Tertiò probatur ex cap. primo, cap. vnũ solùm 3. cap. prodest. 4. cap. reos sanguinis. 7. 23. quæst. 5. cap. veniam. 35. quæst. 9. ex Diuo Augustino Epistola. 54. & 158. & 159. & 160.

Quartò probatur ex cap. nouimus. de verbo-

verborum significatione: vbi Ecclesia rogat pro traditis curiæ seculari, per quem textum rectè Abb. ibi firmat, officium Prælati, & personæ Ecclesiasticæ esse intercedere pro homine quantumcunque facinoroso, vt non puniatur pœna mortis, argumento textus in dicto cap. reos, vbi Diuus Gregorius his verbis: *Reos sanguinis defendat Ecclesia, ne effusionis sanguinis particeps fiat.*

Quintò Clerici offensi tenentur obsecrare & precibus instare coram iudice seculari, ne sanguinis pœnam suis offensoribus imponant. cap. Prælati. de homicidio, lib. 6.

Vltimò est textus singularis in l. præsenti. in fine. C. de his qui ad Ecclesiam confugerunt, ibi: *Aut humanissima intercessione*: vbi licet intercedere pro seruo facinoroso in casu illius textus, vt intercessit D. Paulus pro illo seruo fugitiuo in eleganti epistola ad Philemonem. Nullum igitur crimen in præsenti cōmisit Episcopus Vticensis intercedendo, & supplicando pro homicida, imò officium Pastoris præstitit, & per consequens iniustè tot contumelijs oneratur à Summo Pontifice.

Contrarium tamen, imò optimo iure Summum Pontificem in præsenti, maximè zelo Religionis aduersus supplicantem excanduisse, probo per textum in l. quisquis. §. denique iubemus. C. ad l. Iul. Maiest. vbi Imperatores Arcadius, & Honorius graue supplicium comminantur illis, qui pro reis maiestatis audent intercedere. Verba text. sunt: *Denique iubemus notabiles esse sine venia, qui pro talibus vnquam apud nos intercedere tentabunt*. Pondero verbum *notabiles*, idest omni infamiæ nota, & verbum, *sine venia*, & ibi: *vnquam*. Nec putes nouam illam legem, fuerant enim iam olim eadem, & grauiora deprecantibus in hoc casu supplicia decreta: nam & Iulius Cæsar in oratione, quam habuit pro coniuratis lenissimam, tamen hoc addidit, qui pro eis ad Senatum referret, vel cum populo ageret, contra Rempublicam, & salutem omnium facturum; & Cicero in oratione pro Sylla contagionem sceleris trahere, qui eos defendunt. Notum illud Vitelij, de quo Sueton. cap. 14. *Alterius pœnæ duos filios adiecit, deprecari pro patre conatos*. Et Cornelius Tacitus hoc crimine ait comprehendi, qui necessariorum iuuaret periclitantem. Quod videtur nouum in hac l. quisquis, illud est, condemnari non solùm qui rogat, sed qui tentat rogare; vt constat ex verbo, *tentabunt*. Ex quo etiam voluntas intercedendi sine actu punitur: & in hunc sensum allegatur à Gratiano in cap. quisquis. 9. de pœnitentia. dist. 1. & in cap. si quis. §. verum, & §. denique. 6. quæst. 1.

Secundò probatur per textum in l. quicunque in fine. C. de Episcopis & Clericis vbi pœna Clerici scādalosi etiam ad deprecatores extenditur, ibi: *Defensoribus etiam eorum nostram indignationem subituris*.

Tertiò probatur autoritate Diui Augustini, in capite. 1. §. illud. 14. quæstio. 6. *Illud verò fidentissimè dixerim, cum, qui pro homine ad hoc interuenerit, socium esse fraudis, & criminis, nam misericordius opem nostram talibus subtrahimus, quàm impendimus:*

Quartò probatur per textum in cap. si lapsis. 1. supra hac distinctione. vbi D. Gregorius: *Illud igitur pro omnibus studete, vt lapsos in sacrum ordinem nullius vobis supplicatio reuocare suadeat, ne huiusmodi non statuta, sed temporaliter dilata vindicta videatur.*

Quintò probat textus in cap. sicut, vbi Glossa, & in cap. excommunicamus. §. credentes. de hæret. vbi eadem pœna, quæ hæreticis imponitur, puniuntur defensores eorum.

Pro resolutione sit prima conclusio: in causa ciuili & pecuniaria non licere tertio pro alio apud iudicem intercedere, ne in integrum debitum ille condemnetur, ex ratione Diui Ambrosij, 3. officiorum, cap. 9. cap. denique. 14. quæst. 5. qui textus dignus est qui memoria retineatur. Verba sunt: *Denique si non potest subueniri alteri, nisi alter lædatur, commodius est neutrum iuuari, quàm grauari alterum. Ideoq; in causis pecuniarijs interuenire non est sacerdotale, in quibus non potest fieri, quin frequenter lædatur alter qui vincitur: quoniam intercessoris beneficio se victum arbitratur. Sacerdotis est igitur nulli nocere, prodesse velle omnibus, posse autem solius Dei est*. Hæc Diuus Ambrosius: & iuxta hanc conclusionem interpretor textum in cap. 1. §. illud. 14. quæst. 6. nam loquitur in eo, qui prædonem defendit, ne restituat omnia ablata, quæ iniustè retinet. Potest tamen in causis ciuilibus, & pecuniarijs licitè is intercedere pro reo, cuius interest, id est, pars, ad quem pœna

pœna reo imponenda, applicanda est.

Secunda conclusio. In causa criminali aut lex prohibet intercessionem, aut non. Primo casu, ideò non licet, ne legi aduersemur. Sic intelligo textum in dict. l. quisquis. §. denique C. ad l. Iul. Maiest. & tales leges esse iustas probat Alfonsus à Castro lib. 2. de lege pœnali, cap. 13. & 14. Et meritò punitur intercessor, quia ignoratur eius intentio, & suspicio est, eos, qui in talibus criminibus intercedunt, aliquod cum criminosis habere cōsortium: & id est quod Cicero dixit, *contagionem sceleris trahere*, vt ego interpretor, idest, defensorem maiestatis, aut hæreseos hæresi, secretò fauere, aut cum criminoso sentire. Si non prohibet lex intercessionem, tunc, aut intercessio fit pro corrigibili, aut pro incorrigibili. Secundò casu, nō semper est licita, sed expensis personarum, & rerum circunstantijs. Ita intelligo textum in d. l. quicunque. in fine. C. de Episcopis & Clericis, cap. super eo. de hæret. lib. 6. dict. ca. sicut. dict. cap. excommunicamus. eodem titulo. Dicitur incorrigibilis, qui sæpius in eodem delinquit: ideò qui pro heretico relapso intercedit, suspectus de hæresi fit, secundùm Archidiacon. & Dominicum in c. quicunque. de hæret. li. 6. Repertorium inquisitorum verbo, *fautor*, columna 3. & 5. & verbo, *rogari*, in principio. Cardinalem Rofensem contra Lutherum, articulo, 33. ad finem. Si est corrigibilis, tunc, & pars offensa, & etiam tertius possunt licitè pro eo rogare, non tamen instare, vt impunitus remaneat, quod esset contra bonum publicum, argumento l. ita vulneratus. ff. ad l. Aquil. cum vulgatis, quia rectè Cicero in oratione pro Milone: *Maximam*, inquit, *illecebram esse peccandi impunitatis spem*: sed vt mitius puniatur, & ne homo in hominē sæuiat. d. c. 1. 14. quæst. 1. Glossa in cap. 1. verbo *parte*. 23. quæst. 5. Ita accipio omnia, quæ tradit Alfonsus à Castro de illicita intercessione d. lib. 2. de lege pœnali. c. 13.

Quod si ad has leges, consultationē Episcopi, de qua in præsenti agitur, exigamus, eiusque preces his regulis metiamur, non erit difficile discernere, an hæc intercessio extra legum pomeria sit. Primùm enim Episcopus pro subdito, & eius malo, vt pater angebatur, & pastor pro oue. Secundò in causa criminali summum Pastorem precabatur, quod humanum esse & pium nemo inficias iuerit. Tertiò non pro incorrigibili, sed pro peccato homicidij semel commisso: nec ex textu constat fuerit voluntarium nec ne: & estò fuisset voluntarium, vt iusta nostri textus interpretatio exigit, non rem inauditam, aut Summo Pontifici impossibilem, sed fieri solitam ex superiori disputatione constat. Nec vt homicida ordinetur, sed vt Sacerdos ordinibus susceptis post homicidium commissum dispensatione Summi Pontificis vti posit. Non igitur debuit his verbis, quæ in Episcopum dicta contumeliosissima sunt, puniri. Quæ ratio præbuit occasionem consulendi alia exemplaria nostri textus, vt ex eis an grauior aliqua causa esset venaremur, & inuenimus apud Iuonem Carnotensem, lib. 3. Decretorum, ca. 153. aliter nostrum textum legi: Nam in principio, vbi apud Gratianum scriptum est: *Miror minus doctam scientiam tuam*; quæ lectio Hispanè hunc sensum efficit: *Marauillome de vuestro poco saber*: quæ verba in Episcopum, qui ratione officij, & dignitatis sub reatu conscientiæ tenetur scire vtrumq; testamentum, contumeliosa valde sunt. In hoc, inquam, principio apud Iuonem inuenimus: *Miror nimis doctam scientiam tuā*: Hispanè: *Marauillome mucho de vuestras grandes letras*, hoc est, *que siendo vos tan gran letrado, &c.* quæ verba honoris, & maiestatis plena sunt. Et paulò infra, vbi Gratianus, *quis enim tam demens*, apud Iuonem legitur: *Quis enim tam clemens*: facili videlicet erroris occasione, cum ex *c.* & *l.* quibus *clemens* scribitur, *d.* efficiatur, qua *demens* irrepsit. Vbi paulò infra in Gratiano legimus, *& quod ineptius est*, contumelia non est; nam vt inquit Cicero de oratore ad Quintum fratrē lib. 2. *Ineptus nomen habet, quod non sit aptus*: vnde, & qui tempore minùs apto superiorem occupatum adit, ineptè adijsse absque vlla contumelia dicitur. Sic Episcopus, qui ante peractā Sacerdotis pœnitentiam dispensationem postulabat, tempore videlicet non apto, nec maturo, quasi rem minus aptè tentasset, reprehenditur. Si quid tamen contumeliæ hæc vox habet aduerto, apud Iuonem non ita legi, sed: *& quod peius est*: illa autem verba, *peruersi sensus*, in originali non inueni. Vnde iam constat, Summum Pontificem humanissimè respondisse: solent enim Principes mitiora, & humaniora responsa reddere, vt in l. vt responsum. C. de transactionib. vbi Bart.

Bart. hanc quæstionem breuissimè resoluit, l. precibus. C. de impuberum, & alijs, cap. fin. 99. dist. maximè cùm postulata denegant. Quo nomine Titus Imperator à Suetonio laudatur; & maximè omnium Leo Decimus apud Paulum Iouium li. 3. Quod si adhuc literam Gratiani retineamus tamen iustissimè Ioannem Summum Pontificē Episcopum hunc reprehendisse, facilè euincemus, si consideremus non rogasse, vt à pœna sanguinis vitam, & membra homicidæ obtineret, & ne homo in hominem sæuiret, quod iura supra adducta humanum declarant, sed vt violentus homicida cum Reipublicæ scandalo manus sanguine pollutas ad impollutum Missæ sacrificium adhiberet, & vt Ecclesiasticus ordo ob vnius facinorosi commoditatem turbaretur, & honori summi Dei, cuius interest purissimè rem sacram tractari, ante peractam homicidij pœnitētiam detraheretur. Decet enim Summos Pontifices, si quid iniustè, aut importunè, aut minus pudenter contra leges petatur, ita petitionem repellere, vt & audaciam reprimant, & impudentiam impunitam non ferant, l. Domitius Labeo. 7. ff. de testam. l. 2. §. Seruius Sulpitius. ff. de origine iuris, l. mercalem. C. de conditione ob turpem causam. l. reprehendenda, C. de institution. & substitution. c. si custos esses. 18. c. si homo. 19. 27. q. 1. cap. qua fronte de appellationibus.

LAVS DEO.